Gratulatio
ACADEMIÆ
CANTABRIGIENSIS
De Serenissimi Principis reditu ex Hispanijs exoptatissimo:

Quam Augustissimo Regi
IACOBO,
Celsissimoq; Principi
CAROLO
Ardentissimi sui voti testimonium
esse voluit.

Ex Officina CANTRELLI LEGGE, Almæ
Matris Cantabrigiæ Typographi.
1623.

AD REGEM.

TArda breuiſq; tibi ſi forſan charta videtur,
Inſacras trepidat Cæſaris ire manus.
Cauta verecundæ meditantur gaudia Muſæ,
Cæſaris exemplo ſic didicere loqui.
Non metuunt faſces Maieſtatemq; Britannam,
Iudicium Domini ſed ſubijſſe ſui.
Cui, licet imperio vigilet populiſq; regendis,
Invideat Genius (Mantua docta) tuus.
Ite leues Muſæ tamen, & confidite: Certum eſt
Mitius ingenio Cæſaris eſſe nihil.
Hoc ſatis eſt, Cæſar; Tardæq; breueſq; placebunt.
Dic tantum Muſas ſic ceciniſſe Tuas.

H.B. Procan.

AD PRINCIPEM.

Si quereris lentas ad te veniſſe Camænas,
Tardiùs, & liceat, te redijſſe queri.
Nam dubitamus adhuc, te vix redijſſe timentes;
Tarda ſolet magnis rebus ineſſe fides.
De reditu ſic crede tuo, noſtriſq; Camænis,
Magna ſolet tardis rebus ineſſe fides.

H.B. Procan.

Gratulatio Cantabrigienſis,

In reditum Illuſtriſſimi

CAROLI,

Walliæ Principis.

In reditum Principis.

EXijt, hinc lacrymæ: redijt, par inde triumphus:
Lætitiæ, & luctus, fons erat vnus, amor.
Exijt, ambiguis fortunæ caſibus vtens.
Res eſt ſolliciti plena timoris amor.
Appulit incolumis, tumidis emerſus ab vndis.
Res eſt feſtiui plena furoris amor.
Exijt; & redijt. Lacrymis hic terminus eſto:
Lætitiæ metam ponere neſcit amor.

I.M. C.C.C.

SVnt quibus in votis eſt, Gemmâ diues Iberâ,
Indorumq; auro nauis onuſta redux:

Fac rata; vt invideant & Iberia, & India nobis:
Nam potes, & vacuus, CAROLE, si redeas.

R.G. C.C.

QVærimus absentem dum te (suauissime Princeps)
Solliciti, nobis nulla tabella placet.
Et querimur pictus nimiùm quod deficit orbis,
Recta nec est tantæ linea ducta viæ.
Nec Pyrenæi tua vera pericula montes
Ostendunt, tumulos vix superare putes.
Hispaniq; oculis pateat cum regia nostris,
Te minor est, domino vel minor ipsa suo.
Nunc satis ampla tuæ non fiunt æquora classi,
Hîc Syrtes faciunt, hîc vada longa metus.
Singula ne placeant, poterint cum cuncta placere,
Exhibet effigiem nulla tabella tuam.
Sic orbem digitis terimus, pictasq; tabellas,
De reditu timidi, sollicitiq; tuo.
Consuluit tandem prudens sibi Bœtica terra,
Et citò te Patriæ, reddidit, atq; Patri.
Si mora te à patrijs tenuisset longior oris,
Sensisset funus protinùs illa suum.
Nam dum te cupimus præsentem: chartaq; nostris
In manibus toties exagitata madet:
Dum terimus pictum digitis trepidantibus orbem,
Excipit & maculas vda tabella nouas;
Expuncta è toto digitis maculantibus orbe
Non inveniſſet Bœtica terra locum.

T.B. A.P.

DVm repetis Patriæ fœlicia littora terræ,
Et Charites ducunt, & Venus ipsa choros.

In

In cœlum ſurgunt ignes, quò tendere flamma
Non poterit, noſtras iuſſimus ire preces.
Maſſica promantur tremulo ſalientia vitro,
Apponatq; annis guttula quæq; tuis.
Lautior Ambroſijs dapibus conviua triumphet,
Et pereat reditu, Carole, cura tuo.
Nunc gaudere iuvat, iuvat inſanire; recepto
Principe, non licitus quis furor eſſe poteſt?

T.B. A.P.

In reditum, &c.

QVâ redis ad patriam (Princeps clariſſime) ſacra,
Et natalitia eſt hæc mihi viſa dies.
Sic alium temet reditus dare nempe videtur,
Vt ſolem aurora eſt viſa renata novum.
Audiſti lætas multorum in littore voces,
Gaudia læta tibi noſtra videre licet:
Lingua quidem vocem nobis, calamuſq; miniſtrat,
Aure illam, hanc oculis accipe (Magne) tuis.
Sic abſq; aure potes tu nos audire tacentes,
Poſſumus & ſic nos vel ſine voce loqui.

T.C. T.C.

In reditum CAROLI *Principis ex Hiſpaniâ.*

ET Patrem & Patriam feciſti Carole lætos
Intraret portum cum tua cymba ſuum:
Gratior haud vnquàm Britonum ratis appulit oras,
Quanquam noſter erat quem priùs illa tulit.
Nam quia veniſti peregrè, novus eſſe videris,
Atq; iterùm, quandò redditus, eſſe datus:

Nescio an & reditus maiores iste triumphos
Postulet, accessus quàm prior ille tuus:
E Scotiâ facilis nam visitur Anglia, sed iam
Vnde negant quenquam posse redire, redis.

ASpicis accensis vt splendeat ignibus æther,
Et celebret festum læta caterua diem,
Vndiq; clamores hilari tollente popello,
Et nolas agili concutiente manu,
Lætitiæ famulante lyrâ, cytharâq; canorâ?
Quid velit hic strepitus Carole scire cupis?
Patria, te reducem dum sic effusa salutat,
Hoc vnum tentat dicere, Gratus ades.
Sed titubat, tantisq; adeo successibus impar
Excutit è tremulo gutture χαίρε suum:
Mox, vbi lætitiæ fiet sedatior æstus,
Expediet promptos articulata sonos.
Scilicet, vt modicos dicunt se prodere luctus,
Sic leuia erumpunt gaudia, magna stupent.

ONimiùm audacter timidi prohibente Iacobo,
O faciles nullâ cum ratione queri;
En vobis reducem quem sic doluistis abisse;
Sed lacrymæ timidi forsan Amoris erant.
En vobis reducem, titulis & honoribus auctum,
Splendidior multò, quàm fuit ante, redit.
Flere modò si iussit Amor, iam gaudia poscit,
Arguit & luctum quem priùs ipse dedit.

IVit per terram Princeps, redijtq; per vndas,
Et sibi propitios sensit vtrinq; Deos:

Neptuno

Neptuno taurus, Vestæ mactabitur agnus,
Postquàm chare tuis Carole rursus ades:
Illa tuos fauit dum prosequereris Amores,
Ille reportanti vela secunda dedit:
Sed dicam modò qualis iter successus vtrumq;
Clauserit, & certè non nisi mira loquar:
Te siccam carpente viam, tellure profecto,
Fluxerunt lacrymis lumina nostra suis:
At reditus (dilecte) tuus, licèt ille per vndas,
Invenit siccas, & sine rore genas.

Th.V. C.T.

Nobilissimo Principi reditum gratulatur
Φιλο-καρολος.

SCotia te puerum, Princeps charissime, vidit,
Hispanæ gentes te tenuere virum.
Omnipotens nostrùm votis Deus annuat, & te
Extera non faciant, sed tua regna senem.

G.H. C.P.

In reditum desideratissimum atq; expectatissimum
CAROLI *Walliæ Principis.*

CVm gratulatur Anglia reditum tuum,
Carole, nec expectes inanes, Aulicas,
Ambagiosas cæremonias, neq;
Crebra manuum oscula, neq; dona ferentium,
Nec verba dantium obuiam turbam Tibi:
Hispanicè Anglia conquinisce non potest.
His antevertit, hæc dedit Iberia prius;
Hæc exolevere omnia. Vbi grata nouitas?
Vbi gratulatoria, & honoraria tua,
Anglia, supersunt? Vnicum antiquum obtinet,

Quod nauseanti cætera, futurum est novum;
Quo gratulatur Carolum priscâ Fide
Anglia, Fidele pectus, & cor integrum.

R.G. C.C.

In desideratissimum CAROLI *Principis Illustrissimi reditum.*

CAROLE, tot terræ, pelagiq; erepte periclis,
Prospera quùm dederint fata redire Tibi:
Lætitiæ specimen qui non dat, marmoris instar:
Marmoris instar, inops perpetuùm lacrymet.

I.F. T.C.

In reditum auspicatissimum CAROLI *Principis ex Hispania.*

O Quàm sacra maris fallaci credita dorso
Sarcina? at ô quanta est illa reuecta fide?
Carole; Neptunus dum te conspexit in vndis,
Esse æquor voluit, qui solet esse fretum:
Nil opus est vinclis Xerxis, quibus vnda ligetur;
Vincula namq; vndas hîc meliora ligant.

T.F. C.T.

In reditum fœliciſſimum CAROLI *Principis optimi.*

TOtius iactura fuit propè, dum sibi partem
Dimidiam Princeps quæreret ipse sui,
Dimidiumq; sui modò perdidit Anglia tellus,
Dum capis ignotum Carole solus iter.

At

At nunc inde refers ô quàm chariſſime totum
Teq; tibi, patriæ dimidiumq; tuæ.

G.B. C.Regal.

In reditum Auguſtiſſimi CAROLI
Walliæ Principis.

SIdus ab Heſperia, vetitum ſæuo æquore tingi,
Anglis optato præbuit ore iubar.
Non tamen Arctoum, Sidus Septemue-Trionum,
Verùm propitius Carolus ortus adeſt.
Lucifer es patriæ (Princeps) & nuntius alti
Luminis; aduentu tempora mæſta fugas.
Decedens Veſper, rediens modò viſus Eous,
Indicio obſequitur noxq; dieſq; tuo:
O vtinam fixus maneas, ſed ſi amplius erras,
Phoſphorus eſto tuis, Heſperus Heſperijs.

I.T. C.T.

INgratæ procul hinc abite curæ,
Nobis te duce triſte nil recepto,
Rerum prima ſalus & vna princeps.
Inſtar veris enim tuus Britannis
Fulſit vultus vbi, fugata nubes
Phœbo flammigero locum reliquit.
Iam ſoles melius nitent, dieſq;
Signandi melioribus lapillis.
Stellatæ venerande Rector aulæ,
Quem ſalua duce credimus benignum,
Te, votis ſibi quiſq; quem fatigat,
Oro perpetuos dies (rogare

Si

Si fas) hos fore; quod decet Tonantem
Est munus, dare, nec decet ministrum.

R.D. Regal.

De Illustrissimo CAROLO *Principe Walliæ, &c. ab Hispaniâ reduce.*

QVis metus, ô ciues? mala quæ præsagia mentes
Excruciant? Quæ cura jecur nimis anxia rodit?
Scilicet Angligenûm decus ingens, lucida stella,
Carolus, ingenui stimulis impulsus amoris,
Propitio patrium viduauit sidere cœlum,
Et procul æstiuis radios expandit Iberis.
Vera quidem pietas discrimina Principis æquè
Pro proprijs habet, atq; in eadem lance reponit:
Arcta tamen timidum custodia prodit amorem,
Et nimij Regum præscindunt otia cultus.
Zelotypus sic Penelopen laquearibus abdat
Sisyphides, & inops gazam sic Euclio seruet;
Lignea sic cæcæ venerentur numina gentes,
Præpediantq; fugam muris, clauisq; Deorum.
Liberior sit noster amor: nec carceris instar
Insula Principibus pelago circumflua cedat.
Fortiùs incaluit Veneris si Iupiter igne,
Aut placuit mores hominum explorare nefandos,
Nectaris, ambrosiæ, sceptri, Iunonis, Olympi
Tæduit, & cœlo potiora mapalia Pyrrhæ,
Et Ioue splendidior larua Amphitryonis habetur.
Carolus Hispanos sic cum procus ambit amores,
Protinùs Eboracum, Cornubia, Cambria sordent,
Vulgariq; juvat sub imagine ludere *Smithi*.
Macte animi, flos ô Britonum! Te præside, Reges
Sponsore affectu connubia jungere discant,
Et ritum hospitij priscum instaurare, fidemq;.

Obtin-

Obtingat reduci sic nullum tristius omen:
Sic Alpes nunquam pigeat superâsse niuales,
Bætica nec studio properâsse ad fœdera tanto.

A.A. A.C.

Gratulor, haud cantare tuum volo, Carole Princeps,
Fœlicem reditum, præbet tibi Mantua vatem.

Æn.6. COncordes animæ,* lætas advertite mentes, *Æn.5.*
Æn.8 Cingite fronde comas,* & vina reponite mensis. *Æn.7.*
Geor.4. Namq; * hoc ista sibi tempus spectacula poscit. *Æn.6.*
Æn.12. Conspectu in medio procerum * spes altera regni, *Æn.12*
Æn.10. Quod votis optâstis, adest, * quod sæpè petistis. *Æn.12.*
Geor.4. Quis dubitet? Nam* hinc ille auium concentus in agris, *Geor.1.*
Et lætæ pecudes, & ouantes gutture corui:
Ecl.5. Ipsi lætitiâ voces ad sydera iactant
Intonsi montes, * strepitu collesq; resultant. *Æn.8.*
Æn.8. Quare agite ô iuvenes,* pueri, innuptæq; puellæ, *Æn.2.*
Æn.12. Invalidiq; senes (* iterumq; iterumq; monebo) *Æn.3.*
Æn.1. Soluite corde metum,* nihil illo triste recepto. *Æn.9.*
Æn.4. Et nunc * quæ differre nefas, celebrate fauentes, *Æn.8.*
Ecl.10. Carmina sunt dicenda,* nihil nisi carmina desunt: *Ecl.8.*
Æn.5. Ore fauete omnes,* evincti tempora ramis. *Æn.8.*
Æn.7. Carole* auis atauisq; potens*, lumenq; iuventæ, *Æn.1.*
Æn.6. Venisti tandem, tuaq; expectata parenti
(Vicit iter durum pietas) datur ora tueri.
Æn.12. Non hæc humanis opibus * sine numine divûm *Æn.2.*
Eueniunt,* cœlum & terras qui numine torquet *Æn.4.*
Æn.12. Maior agit Deus, atq; opera ad maiora remittit.
Ecl.5. Tu decus omne tuis;* patrijs vt redditus oris, *Æn.11*
Æn.12. Lætitiâ exultans* magnas it fama per vrbes *Æn.4.*
Æn.3. Delectos populi ad proceres, primumq; parentem.
Æn.3. Maximus vnde pater * oculos ad sydera lætus *Æn.1.*
Extulit, & cœlo palmas:* pauor ossa reliquit *Æn.3.*
Æn.6. Magnanimûm Heroûm: nec solos tangit Atridas *Æn.9.*

Æn. 11. Hic amor, hoc ſtudium non curſu ſegniùs illo — Æn. 7.
Per medias vrbes agitur * gentemq́; togatam : — Æn. 1.
Æn. 7. Protinus hinc * adſunt euincti tempora ramis — Æn. 8.
Hic iuvenum chorus, ille ſenum, * tua dicere facta. — Ecl. 8.
Æn. 7. Idem omnes ſimul ardor agit, * clamore ſequuntur — Æn. 9.
Lætitiâq́; fremunt, animoſq́; ad ſydera tollunt.
Æn. 3. Omnibus idem animus: * princeps, tu ritè propinques, — Æn. 10
Æn. 8. Et nos, & tua dexter adi pede ſacra ſecundo.
Æn. 1. Parce metu, haud credo inuiſus cœleſtibus auras — Æn. 1.
Vitales carpis, * nunquam te craſtina fallet — Geor. 1.
Hora, * haud ille ſinit ſuperi regnator Olympi. — Æn. 2.
Geor. 3. Ictibus & * pulſæ referunt ad ſydera valles, — Ecl. 6.
Ecl. 5. Ipſa ſonant arbuſta Deus, Deus * otia fecit. — Ecl. 1.

C.C. C.P.

In reditum Sereniſſimi Principis CAROLI.

QVicunq; funus triſte pullatus pij
Parentis, aut ſponſæ dolet
Pulcherrimæve prolis, à muſâ petat
Feſtinus auxilium meâ,
Conijciat oculos carmen in noſtrum modò
Nomine ſuperbum Caroli,
Et videat illic Principem, fauſto ſuam
Redeuntem in Angliam pede :
Statim doloris immemor, veſtem exuet
Nigram, genaſq́; pallidas
Nimiâ fluentes increpabit lacrymâ,
In gaudium effuſus novum.
Quod eſſe magnum læta Relligio iubet
Et par beato Principi.
Virtus Britanni eſt, magna virtus, liberæ
Neſcire lætitiæ modum.
Naſcente qualis Principe exoritur nitor
Redeunte voſmet occupet.

Redijt

Redijt Britanni grande depoſitum, redit
Theſaurus Angliæ vnicus.
Littus carina quidquid ad noſtrum tulit
Nuper ab Eoo littore,
Quàm vile, parvum, quamq́; nullius preti?
Præ Carolo ſordet nimis.
Munera priora grata, quæ Regi Optimo
Heſperia prædiues dedit.
Sed plus Ibere læta nunc Britannia
Debet, quòd incolumem ſuo
Iam reddidiſti patriæ populo Patrem,
Magno & Iacobo filium. *G.M.*

In Nauem Principis.

QVid *Draci* meruit beata nauis,
Cuius vel colitur ruina tantum?
Quæ vidit gemino ſub axe gentes,
Et gemmis procul Indicis onuſta,
Contempto pelagi furentis æſtu,
Merces expoſuit vel invidendas
Terrarum domitoribus, tuoq́;
Formidande Tridentifer cubili?
Tutum per mare Carolum Britannis
Plus fecit ratis illa, quæ reduxit.

In reditum Sereniſſimi Principis.

IRe iubet te magnus amor, maiorq́; redire,
Nam fuit is tantùm virginis, iſte dei.
Fauſtior eſt reditus tandem tibi Carole, maior
Dux fuit ille tuæ, quàm fuit illa viæ.

T.B. A.P.

De pluvijs intempestiuis, ex quo Princeps Hispaniam petijt.

QVid cœlum assiduus tenebrarum obduxit amictus?
Clima quid assiduis collachrymauit aquis?
Tu nempe Hispanas abijsti Phœbus ad oras,
Atq; abitum cœli condoluere tuum.
(Ni vanum augurium, nisi inane fefellerit omen)
Clarescent reditu climata nostra tuo.
Scilicet ipsius redeuntis Principis ora
Gestiet ipsa etiam cernere pura dies.
O quantum possis, cui vel Deus annuet, vt sit
Seu pluviosa dies, siue serena dies.

C. A. C. S.

De reditu Serenissimi Principis.

VT reducem cœleste vehat te Carole plaustrum,
In vetitis axem tingere gestit aquis.
Inuida sed quoniam prohibent immergier vndis
Fata, rati Hesperio monstrat ab orbe, viam.
Sic seruire tibi semper cupit; æthere sacrum
Attamen vt serò sentiat, optat onus.

G. P.

Ad Nauem Principis.

QVæ iam cæruleas ratis per vndas,
Commissum tibi Carolum, Britannum
Spem, vitam, patrijs fidelis oris
Tutò, depositum sacrum dedisti,
Non rursus pelagi feuerliores
Fluctus experiere, nec minaces
Venti te rapidis agent procellis:

Inter

Inter sydera sed novum relatum
Sydus, stelliferis feret lacertis
Atlas: atq; Britannico refulgens
Cœlo, iam noua tu carina, quassas
Imis eripies rates ab vndis. *G.P.*

PHœbi tenebras nuper oceasus tulit,
Fuimusq; tacitæ noctis obsessi metu:
At eccè roseus redijt Aurorę color,
Fugatq; tenebras Phœbus exortu nouo;
Tuq; ipse Princeps, Phœbe noster, Carole,
Silentio illo noctis abrupto nigræ
Alata nostris indidisti carmina
Linguis, & ora silentibus vocalia.
Nam qualis alter Iconi Phœbus fuit,
Tu talis hodiè. Memnonis Thebis erat
Imago, quam si Solis affulsit iubar,
Lætas ferebant edidisse voculas:
Et Memnones statuæq; nos sumus merę,
Silices silemus, Phœbe, nisi nostris tuum
Iubar emicuerit oribus; quidni Ioui
Igitur litemus perpetim, ve nobis diu
Fulgere possis, nullaq; obfuscet iubar
Caligo noctis (sera ni fiet) tuum. *R.C.*

QValis Sol oritur, post longa tedia noctis:
Exoptate diu, Carole talis ades:
Phœbi luce, dies redeunt, caligine pulsa:
Te redeunte, dies sic redeuntq; nitet.
Diffugiunt tenebræ, non amplius Anglia mœret,
Principis orba suj, dumine cassa suo:
Nec quærit, quæ tanta fuit tibi causa videndi,
Castiliam veterem, Castiliamue nouam;

Aut Pyreneos surgentes vertice montes,
Quaue viâ, cursum flumen Iberus habet:
Nec reputat casus, nec tot discrimina rerum,
Tempore venturo, quæ meminisse iuvat:
Læta tuo reditu, (curæ periere, neç vltra
Mæstitiæ locus est) gaudia sola canit:
Quisquis amat, socios Diuos in prælia ducit,
Nocte dieq; sacer, tutus vbiq; viget.
Herôum excelsos generoso in pectore motus
Pristina miratur, postera fama tuos.

In optatissimum reditum serenissimi CAROLI *Principis Walliæ, &c.*

HEus, age, Pythagora, falsa est doctrina Lycei,
Anglia tota tuæ fiet alumna scholæ:
Nunc experta satis (sera Experientia mater)
Nouit, quàm tua sunt dogmata vera nimis.
Ἄυτος ἔφης animam, cœlestis originis, vno
Corpore deposito, mox habitare novum.
Credimus & sentimus idem, Venerande Magister,
Iam tibi discipulis sufficit, ἄυτος ἔφης.
Dum petijt Carolus Princeps Hispanica regna
(Mirum dictu) animam nemo Britannus habet:
Nempe omnes animę Carolum comitantur euntem,
Quòd nequeant Britonum corpora, bruta nimis.
Scandit equum Princeps? animæ hîc & vbiq; ministrant,
Quarum ope defessus currere gestit equus.
Conscendit naues? animæ spiracula mittunt,
Vt tumeant celeri carbasa plena Noto.
Sat benè sentimus reducem te (Carole) factum,
Ad vacuas animæ quòd rediere domos.
Euge, age, docte Sami, Carolo redeunte, putamus
Sphæras cœlestes edere dulce Melos.

In

In reditum expectatissimum Illustrissimi Walliæ Principis & Nobilissimi Ducis Buckinghamiæ. Ad Regem.

QVantos honores quæritant *Smithi* duo?
Quid Carolo adijci patrij honoris potest?
Iam maior est, quàm cui potest maior novus
Accedere: neq;, Iacobe, vis, nec dum velit
Augere maiestate patriâ Deus.
Eques, Baro, Vicecomesq;, Comes, & Marchio
Tuus, Iacobe, factus est Georgius:
Tuam fidem, Pater patrate patriæ!
Quibus nouis augebitur titulis? Et est
Nuper creatus Dux: Quid his addi potest
Tantis honoribus? Vbi progredi nequit
Fœlicitas, redit. Academia supplicat
Deo, vt Redux Dux Carolus sit, Dux Comes.
Ita erunt bonæ *Smithi* vtriq; fortunæ fabri. *R.G.C.C.*

QVantos exultans effudit Græcia plausus
Cum puer Æsonius per consopita Draconis
Ora, & Cyaneas rupes, coeuntia saxa,
Per tumidos ventis fluctus, Syrtesq; vadosas
Auratum Graias perduxit vellus ad oras:
Tantos iam Carolo ad patrios redeunte penates
Præstemus lætâ perfusi fronte Britanni.
Dicite Io Pæan, pulchrasq; agitate choreas.
Ille etenim redijt, qui charis longius absens
Brutiadis, vultus multo squallore serenos
Polluit: haud aliter quàm cùm crinitus Apollo
Diujnos densâ radios sub nube recondens
Multis auroram tenebris obfuscat, & vmbrâ.
E.S. C.C.

In

In reditum Principis.

DVm procul à patria fertur Laertia proles,
Penelopes madidæ sæpe fuere genæ:
A patre, quod Theseus tardè repetebat Athenas,
Ægeo nomen dicitur esse mari:
Auricomo quamuis fit vellere diues Iason,
Quod procul à patria est, Græcia tota dolet:
Tuq; quod externis absens versaris in oris,
Langueſcunt gentis pectora fida tuæ:
Nec quicquam lacrymis stagnantes siccet ocellos,
Phœbeo donec Numine plenus ades:
Angliam in externas quæ transportauerat oras,
O quanto fœlix pondere cymba fuit!
Inuidet Hispanis deserta Britannica tellus,
Inuidiæ causam te tribuisse dolet:
Dij dent vt faustam scandas (rediture) carinam,
Cuiq; suum gremium pandat amica Thetis:
Tardiùs aduenies quam gentis vota reposcunt,
Sit quamuis velis aura secunda tuis:
Dum loquor, augustæ panduntur vela carinæ,
Cymbaq; cæruleas concaua sulcat aquas:
Neu Remoras fluctusue maris metuamus, in ipsa
Est rate, qui Numen, Castore maius habet:
Vtq; alię fallant, Veneris rutilante capillo,
Præbebit notas, stella coruſca, faces.
Et quæ nunc animo, mox corpore Diua sequetur,
Et stabit Phœbo Cynthia iuncta suo.
Intereâ in nostras dum tu redis integer oras,
Omnia mæstitiæ signa remota iacent:
Frugifera exultat plenis Pomona canistris,
Agricolæ superat spemq; benigna Ceres:
Vua racemifero properat turgescere Baccho,
Quæ, nisi Sol aberas, iam foret apta premi:
Florentes quæris quantum lætantur Athenæ;

Quære

Quære etiam in fontes quot mare fundit aquas:
Diriguere illis (quamuis æſtate) cerebra,
Quę laxare, oriens lux tua ſola poteſt:
Ipſaq; nunc geſtit, quę te, lacrymoſa, remoto
A curis, verè Curia dicta fuit:
Nec lætos populi vultus abſcondere fas eſt,
Quorum iam finem vota, preceſq; tenent:
Accendunt ignes paſſim iuveneſq; ſeneſq;,
Horum in te feruens ſed magis ardet amor:
Tibia pulſa ſonat (populo ducente choreas)
Damætæ ſaltat iuncta puella ſuo:
Carolus interea vt viuat dum Neſtoris annos
Implêrit, latè perſtrepit omnis ager. *T. L.*

CRedibile eſt ipſos tecum migrâſſe penates;
Et patriam tecum vela dediſſe tuam.
Aſſurgit quoties tibi ventus, inhorruit illa
Curarum cæco naufraga facta ſalo.
Sed benè, quòd tutâ tandèm tellure quieſcis;
Iam non Æolijs adſtupet illa minis.
Parta tibi atq; illi ſtatio: ſed quæſtio nunc eſt,
An patriæ tu ſis portus, an illa tibi. *Bonb. C. Regal.*

In Principis reditum longè exoptatiſſimum.

MOntes, & ſcopulos, ventos meditamur & vndas,
Cùm ſalijt tantâ merce ſuperba ratis.
Exilium Britoni patria Anglia; namq; vbi Princeps,
Nativum potiùs dicitur eſſe ſolum.
Virgiliæ ſiccæ: pluit æſtas: Sirius alſit:
Naturæ redeunt Te redeunte vices.

G.C. C.T.

CAROLO *Principi religiosissimo in Hispanijs demoranti,* Εὐτλινον *reditûs.*

Super famâ Constantiæ.

QVàm lubens tibi gratuler redire,
Post tot lubrica circuitionum,
Et gentes alio sitas in orbe,
Votis omnibus expetite *Carle*!
Sed tu, seu redeas, (quod ô vouemus,)
Seu tardè referas pedem (quod absit)
Regum deliciæ cupidinesq́;,
Firmus iudicij manes fideq́;,
Nec quicquid Iesuita fæx propinet
Circæo redis impiatus auro.
Plus hoc *Carole* scito quàm redire.

Super raro comitatu.

QVi binis comitantibus ministris
Audax *Carole* Cantabros amator
Expugnas sylüæq́; belluæq́;
Et sævûm metuens nihil latronum,
At si iam in patriam placet reuerti,
O quot millia præstò seruientum!

Increpatio moræ.

AH quid *Carole* tam diu morare
Surdam sollicitans prece maritam?
Aut tecum *Mariam* refer maritam,
Aut nos noueris esse pro marita,
Qui te voce vocamus impotenti
Quàquà regna patent *Britanna* ciues.

Simili argumento.

COrreptum magno speraram *Carole* amore,
Productum video nunc abijsse; redi.

Aliud.

Aliud.

QVæris *Carole* Principumne ocelle,
Quàm gratus tuus Angliam regressus?
Ex hoc collige: Namq; tu quòd albi
Putas ominis esse, te profectum
Isthuc incolumem vetante nullo,
Tunc mallem vetuisse quàm redire.

Aliud.

AVt exotica linque regna *Princeps*,
Et te restituas tuis *Britannis*
Tam desiderio tui perustis,
Aut id si sedet, & patri videtur
Tuo, qui Sapientiarum abyssus,
Patri, cui similem *Pylos* negarit,
Aut duris *Ithace* impolita saxis,
Fac deinceps coalescere ambo in vnum
Aut *Iberica* regna cum *Britannis*,
Aut *Britannica* cum nouis *Iberis*.

Adhuc ad Reditum inhortatio.

VIdes *Carole* quàm laborioso
Quantas carmine gratulationes
Nil parcens sibi Musa compararit?
Quæ, te, ne pereant, redire fas est.

Adhuc.

ET pudet & quæro nil proficientia quorsum
Principe distento carmina scribo tamen.
Carmina vel cœlo possunt deducere Lunam,
Vt tua dissoluam vincula scribo Decus.

Adhuc.

QVàm longi reditus tui videntur
Post tot carmina fabrefacta nobis,
Qui te nil nisi sospitemq; *Carle*

Et longæ reducem viæ precamur,
Voti vel quasi compotes per vmbram
Miramur, stupidumq; gratulamur!
Tantæ dum sed-enim moræ trahuntur,
Et longi reditus tui videntur,
Et nos nil nisi carmen apparamus,
Hæc sit pro *rate* charta quam linimus
Tuos quod celeret domum recursus,
Qualem *Niligenæ* ferunt phaselum
Contextam leuibus fuisse cannis,
Et nostræ similem nimis papyro,
Sint suspiria *Etesiæ* precesq;.

Ad Hispanos de Principe Walliarum.

POne metus *Hispane*; *Tagon* tibi & aurea Princeps
Omnia, ceu quondam, linquere; pone metus.
Nec nos fluminibus, nec parcius vtimur auro,
Nympha *Tago* placuit, non *Tagus*; *Ipsa* veni,

Ad Columbam *quæ fertur* Hispanien sem.

NEc te candida præterire fas est
Magni conscia *Caroli Columba.*
Quæ ceu cœlitus vt ferunt ad omnem
Indiuisa ruis ministra passum.
Atqui tempus erat, *Columba*, nunc si
Vnquam fortè aliàs, leuem volatu
Ad nutum domini explicare pennam,
Et iuxta vitreum secare pontum,
Oram littoris *Anglici* legentem.
Nec caussare *Columba*, nec carinæ
Hoc dicas opus esse, non *Columbæ*;
Soli nam tibi, felle quòd carètis,
(Fidem si *Physici* merent *magistri*,)
Et dulci Domino tuo meoq;,
Datum est præpetibus per alta pennis
Iter radere, nec timere pontum.

Eidem

Eidem Nobiliss. Principi de Reditu Gratulatorium.

HEsperios igitur fines, atq; vltima rerum,
Aruaq́; longæuo quondam regnata tyranno,
Linquis *Iülæum* gentis decus. Accipe contra
Quæ tibi, quæ tantis functo pia turba periclis
Congerimus, tensaſq́; manus, & feruida longè
Brachia, mactatoſq́; æterni thuris honores,
Atq; focum, atq; tholis ſublimẽ ad ſydera peplum,
Et *Tarteſſiaco* ſpectandas littore flammas.
Hauriat hos oculis vel quę te poſſidet ignes
Nympha, tuiſq́; ſuos ô quâm bene iunxit amores,
Vel iunget lenta, & dediſcet tempore crimen,
Feſſa reluctandi, atq; animo meliora capeſſet.
Sed Tibi qui tantus, iuvenis, divinitus ardor
Inſinuat, patrijq́; excedere limite mundi
Suadet ad Occidui vicinos Solis *Iberos*,
Herculeum laticem, & tepidas ſtridoribus vndas?
Nam neq; te fulua redeuntes merce carinæ
Sollicitent *Indorum*, ereptaq́; pignora Diti,
Et patriæ ſaturum gazæ, & cœleſtibus æquum.
Nam neq; te rapidi *Cybeleia* frena leones
Venatu alliciant, non quamvis montibus illis
Et lupus, & ſæui, ſed quos bene figitis, apri
Eſſe celebrantur, torviq́; aſpectibus vri.
Nec te flexiloqui cupidum cognoſcere *Vaſquî*,
Æmula *Vaſquiaca* neq; *Suaria* ſcita Mineruæ,
Crediderim celeri lapſum per inania pennâ
Viſere *Madritum*, aut vacuo decurrere *Prado*.
Altior his tibi cauſa viæ; Nec lumina tantum
Nata tenere *Soror*, pectuſué exurere viſu,
Regnorum ſed certa ſalus, poſitiſq́; duellis
Claudendæ tibi *Iane* fores, & pectora quondam
Dura nimis, ſemperq́; odijs exercita acerbis,
Hinc atq; hinc niueo retinens *Concordia* nodo.
Exemplum *Pater*, & primis animoſus in annis
Coniugium externum quærens *Auus*. Inſita certis

Semina se ingenijs longo diffundere tractu
Per sobolem & seros gaudent traducta nepotes.
Est etiam tanti; Non hoc tuus, vnice, frater
Abnueret, Mars frater, & imperterritus armis.
Insuper *ipsa* probat. Sed quanquam impensiùs æquo
Effudit se Musa, aliàs dicendus *Achates*
Pars cæpti haud temnenda tui (quis fraudet *Achatem?*)
Et *Theseia* fides, & *Buckinghamia* virtus.

Aliud.

ET *Paris*, & primâ signans puer ora iuventâ,
Dignus & æternis arbiter esse *Dijs*,
Non tamen aut turpes sequeris lascivus amores,
Aut findis dubias per *freta* puppe vias:
Victor *equo* lustras: Ergo ille vt prælia, Martem,
Sic bona tu tecum *Pacis* opima refers.

In turbulentissimas quæ obortæ tempestates
Septemb. 13. & 14. *gliscente cum*
maxime reditûs nuncio.

FAma redire *Ducem* est, nimbi sed & aspera pugnant;
Nempe fremit dæmon; iam scio adesse *Ducem*.

Ad Illustrissimum Ducem Buckinghamiensem.

TE quoq; carminibus, liceat modò, pangere nostris
Eximium meditor Iuvenum decus; & tibi quondam
Aurea nascenti nêrunt subtemina *Parcæ*.
Hoc *Matri* monstrata tuæ portendere visa,
Hoc olor ad *patrias* muscoso flumine ripas
Argumentum ingens & scenæ forma futuræ
Præsignis niueâ plantâ, longèq; refulgens
Agminibus volucrum, tuus ille (oracula siquid
Si quid habent veterum veri responsa ministrûm)
Villeride, typus ille tuus. Quis singula fando
Explicet, aut tanti præsagia narret honoris?
Te Duce, nec rabidos torta vertigine fluctus
Horret inexpertum sceptris iter, ac neq; lęues

Gallorum

Gallorum populos, & amica pericula, Princeps.
Te Duce per sæuis infesta latronibus arua
Arua per & scopulos & depressas conualles
Rumpit iter tutum, gremio vt potiatur amato.
Qualis ad *Elysias* sedes & regna profunda
Tros Anchisiades, ramoq; & virgine tutus
Carpit iter, sed non nisi ramo & virgine tutus,
Vt modico comitatu ingentia mœnia mensus!
Vos quoque, vos animæ fortes, interrita lætho
Pectora, quàm tenui quantum telluris obitis
Agmine, nec pelagi canas aspergine cautes
Nec *Boreæ* immani caussantes murmur ab antro!
Nunc patrios placida portus in pace subitis.

In Nobilissimi Principis CAROLI
rationem transfretandi.

ATquin (ô apinæ furorq; certus)
Nos compendia transitus marini
Impensè soliti sequi nepotes,
Et rebus facilem putare nostris
Mirè gentibus vtilem *Poseidon*.
Tu non quòd metuas (id evidenter
Tam fœlix reditus tuus fatetur)
Sed spernens potius, moransve nullus,
Mutas *Castore Tiphyn*, alme Princeps.
Et ni *Cyllarus* ad manum fuisset,
Aut *Gynden* noue *Cyre* perdomasses;
Aut turpes *Acheloon* in latebras
Truncum cornibus *Hercules* dedisses,
Aut victor *Marathonio* futurus
Hellespontον opinor ebibisses.
Fors *Sestos* quoq; tenderes *Leandrus*.
Nunc lætus patriam reuisis aulam,
Seu *Roystonia* quà patent aprica,
Seu *Thetfordia*, seu propinquiora,

Vbi-

Vbicunq; quidem, futurus vt par
Grantana pius arbiter *Camana*.

S. C. *Regal.* C. *Prap. & Theol. Prof. Reg.*

BRitanna Regum progenies, tibi
Non ante versâ fundimus amphorâ
Cum fœce vinum, nec madentes
Destituet balanus capillos.
Nunc est bibendi, nunc Saliaribus
Tempus fruendi ritè paratibus,
Magnûmq; pulvinar Deorum
(Incolumi *Carolo*) accidendi.
Tuq; ipse votis continuò faue,
Et tu inquietæ te eripiens moræ
Mutare natiuis memento
Extera, teq; referre Princeps.
Hoc fusa latè te rogat Anglia,
Plebesq; Patresq;: hoc tuus vnicè ex-
petessit author. Quid *Madritum*?
Quid biferæ *Talauera* glebæ?
Quanquam & *Botrodi* non leue nomen, &
Salona ferrum visceribus gelans,
Et lene *Congedus* susurrans
Nomina tetriciora terris.
At non minores deliciæ tibi
Constare gratis, seu viridi libet
Errare sylua, siue iniquum ex-
cludere porticibus vaporem.
Quid prata dicam *Eggamia*, Thessalis
Æquanda pratis? quid loca non minùs
Amæna circum? quid *Beuera*
Contiguum superis cacumen?
Vicina quanquam non patitur situ
Reyssona, sed nec cætera se tegi

Hinc

Hinc inde, post curas, paternos
Nata pati loca rite lusus.
Gratas vt ergo nectat agens moras
Comes d' Acunà, nos Ithaci ducis
Hortetur ad dulces redire
Absq; etiam igne focos acumen.

Aliud ad serenissimum Principem CAROLVM *de Illustrissimo Duce* Buckingham.

CAROLE quòd patrias remeasti victor ad oras,
Sospes iò, namq; hoc vincere iure vocem,
Quàm grati reditus, quàm pronæ in carmina vires?
Sed soluenda *Vni* præmia præ reliquis,
Quem, quià te *duxit* per mille pericula tutum,
Rex Pater vt meritò iusserit esse *Ducem!*

FAma est Oceano reuehi te maxime Princeps,
Lætitiæ tecum redditur Oceanus. *I. R. C. Regal.*

In auspicatissimum C. P. *reditum ex Hispaniâ,*
Thomæ Powelli *versus posthumi.*

QVàm gemebunda diù caruit te splendide Princeps,
Anglia? & hos quoties protulit ægra sonos?
Detinet anne tuæ te iam Thetis inuida terræ,
Depascitq; oculos, Carole magne, tuos?
An te Nerëides vasto torrente morantur,
Inq; vndis ardent oris amore tui?
Certè ego, sola tui quæ ius habuisse putâram,
Impatiens tantæ torqueor vsq; moræ.
Hæc Patria; at simulac stantes ad littora puppes
Velaq; post reditum viderat alba tuum,
Penè oppressêrunt miseram sua gaudia, lætos
Muta diu, hos tandem protulit ore sonos,

Ter salue ô sceptri, Princeps, spes sola Britanni,
Patria post longum quem modò cernit iter.
Anglia cui debet, si non tibi, dicere salue,
Quo fine vix sibimet diceret illa, vale? *T.P. C.T.*

In desideratissimum Reditum illustrissimi Principis CAROLI *ex Hispania.*

FAllor? an audita est tenues vox missa per auras,
Finibus Hesperiæ extremis orisq; relictis
Rursus ad optatas Daphnin properare Mycenas?
O multum dilecte Deo, populoq; Britanno!
Gratior Argolicas nunquam remeauit ad oras
Æsonides spolijs & opimo vellere onustus,
Quàm tu Saxonidum portus vrbesq; reuisens.
Hei mihi qualis erat te decedente querela?
Quis gemitus? quantus luctus? Non carmine tali
Amissam Euridicen fleuit Rhodopëius Orpheus.
Flerunt depressæ valles, montesq; superbi
Albionis, fleuit tumidus fortisq; Leonum
Cœtus, quæq; vno metuenda est bellua cornu.
Tunc citharæ non vllus honos, male-grata Rosarum
Vis fragrans; nec Ver solitos præstabat honores.
Ipsæ Nereïdes deserto in littore mæstæ,
Vestibus indutę pullis, lacerisq; capillis,
Absentem flerunt Daphnin; sonuere propinquæ
Syluæq; amnesq; & fluviorum gloria Camus
Absentem Daphnin; resonabant omnia Daphnin.
Quin oppressa etiam tunc tota Britannia luctu,
Fluctibus immergi proprijs est visa, nec vnquam
Dum pulcher tu Daphni aberas caput exerere almũ:
Olim mæsta Ceres charam sic planxit ademptam
Persephonen, multâ & tristi comitante caterua
Nympharum Dryadumq; imis in vallibus Ætnæ,
Te verò redeunte Patris Mauortia proles
Carole, deliciæ cœli, Procerumq; voluptas,

Carole,

Carole deliciæ Phœbi, plebisq́; voluptas,
Carole languentis rarissima gloria mundi:
Aspice quàm variæ vera argumenta parantur
Lætitiæ, mixtos non vnquam habitura timores.
Lætitiâ exiliunt montes, vallesq́; iacentes,
Lauricomæ ramos syluæ, capita ardua, flectunt,
Consistuntq́; suos mirantia flumina cursus.
Aspice quàm blandè ridet clementia cœli,
Sternitur vt tremulum Zephyris fœlicibus æquor:
Vt senior Nereus atq; Oceanitides omnes
Cæruleo vestitæ habitu, comptisq́; capillis
Exultant nimiùm tua carbasa celsa tueri,
Carbasa ad Angliacos placidè aspirantia portus!
Aspice quàm Leo, quàm prægestiat Vnicornis,
Quæq; Caledonijs habitat fera bestia syluis
Maturè tua sperantes pulchra ora videre,
Ora magis Phœbi radijs splendentia Eoïs!
Aspicis vt citharam tractat iam lætus Apollo!
Aspice quàm suaues emittunt gramina odores
Narcissusq́;, Rosæq́; & fragrans multum Hyacinthus!
Vt volucres vario lætantes æthera cantu
Mulcent, quâq; datur redeuntem voce salutant!
Aspice, quot superûm redeunti altaria fumant!
Aspice quot pia thura damus! quot fundere vota
Certamus! quam multa Ioui cadat hostia summo!
Aspice lætitiam populi, plaususq́; secundos,
Visendi vt studio concurrunt! semita feruet
Omnis: non obstat morbus, non tarda senectus.
Cernis vt vnanimes iactant ad sydera voces,
Carole in æternum salue, seruq́; refulge
Inter sydereos Proceres cætumq́; beatum.
Non populo plaudente magis, plaudente senatu,
Aut Theseus lauro victrici tempora cinctus
Intrabat victas Thebas, Cadmeïa regna:
Aut Consul Romanus ovans, post prælia victor
Intrabat rediens, Capitoliaq́; alta subibat.

Quin tu surgentis decus & noua gloria Cami
Carole, bis tenues quondam dignate penates
Visere Musarum, capias hæc pignora nostræ
Lætitiæ, reditu tanto non digna (fatemur).
Sit tibi (summe Heros) vel lactea copia fandi,
At Musas ne sperne humiles: circundatur astris
Luna, nec Oceanus torrentum respuit vndas.

C.P. C.Regal.

Ad desideratissimum Principem CAROLVM *reducem,*
Προσφωνητικον Δοδεκάστιχον.

ANglia discessum est mirata, sed Anglia longas
Productasq; moras, peregrè, nexusq; morarum,
Luce orbata suâ, meritô tulit illa perægrè.
Ergo te reducem lætis amplectitur vnis:
Te redeunte canunt Musæ, recinuntq; Britannæ,
Rex, proceres, populus gaudent, Gens tota triumphat.
Omnia fausta domi spondent, fœlicia spondent.
Sunt ibi Ius triplicis sceptri, Pater optimus & Rex,
Relligio syncera vigens, æquissima iura.
Sunt sat opum, fidi proceres, populusq; fidelis;
Non opus est iterum externas peragrarier oras;
Det Deus hisce frui per longi temporis annos.

S.W. *Profes. Theol. D. Marg. & Col. Syd. Mag.*

Ad Serenissimum Patrem Ægèa verissimè Athenarum Regem ob reditum filij CAROLI *Thesei Britannici in externis Oris magna molientis.*

NAue quasi arratâ mœstis clàm cessit ab Anglis
Carolus, & dubium carpsit Honoris iter:
Sospes at in Patrias remeat iam *Carolus* oras,
Lætitias tantas num decet iste color?
Candida de nigris qui fient carbasa, vt *Ægèus*

Thesea

Theſea bis ſalvum colligat eſſe ſuum?
Hoc muſis penſum ſit, apluſtria texere naui
Chartea, quæ reducem *Theſea* læta canant.

Gaudium Publicum & Academicum ob Reditum deſideratiſſimi Principis CAROLI.

QVinque Triumphales Portus tonuêre ſalutes?
Igniuomis rutilat Troia Britanna rogis?
Concinit his feſto plebs læta ſonore nolarum?
Sola Camænarum docta caterua ſilet?
Ingentes veluti curæ, ſic noſtra putentur
Gaudia, dum reſonant cætera, noſtra ſtupent.

I. N. Syd.

In optatiſſimum reditum deſideratiſſimi & Sereniſſ. Principis CAROLI, *&c.*

MAgne Redux; votis Patriæ par vnice Princeps,
Fortiter in patrio puluere fige pedem:
Peccauere preces noſtræ; priuatus abibas,
Neſciuere Tuæ ſoluere vota rati;
Nunc duplicatus Amor reduci ſua debita ſoluit,
Et gratam ad littus tendit vtramq; manum:
Omnia iam pelago, iam creditus omnia ventis;
Æquora Spes noſtras fida tulere domum.

Aliud ad CAROLVM *Principem.*

BIs fuit Oceanus Terrarum opulentior oris,
Dum Tu cæruleas itq; rediſq; vias:
Ditior Oceano Terra eſt Tua (maxime Princeps)
Hæc poſtquam ex alto reddita gemma mari eſt.

T. G. T. C.

Ad Muſam.

SAcræ cohortis (ô Camæna) dedecus,
Adhuc ſoluta reſtitas, iners? neq;
Pijs (vti decebat) excipis modis
Decuſq; præſidemq; Cynthium tuum?
Age (ô ſceleſta) gratulare Apollini,
(Ab Occidente nuper huc enim redît)
Age (inquam) age, & citò modis eum excipe
Tuis (rudis licet ſies ineptaq;;) aut
Ego cruces Iambicas ſtruam tibi:
Necemq; debitam ſilentio feres.

Tremit Camæna; fallor? an modos parat;
Agit: profectò gaudij modos parat.

Muſa.

ILla dies albo Parcarum condita nobis
Nos tandem reduces per tot diſcrimina præbet.
Salue feſta dies vixdum ſperata Britannis,
Purior exurgas niueo ſignata lapillo.
Hei mihi, quàm timidis ſalierunt pectora votis,
Prodiga Neptuno cum dulce Britannia pignus,
Dulce caput pelago concrederet? hei mihi, quantum
Extimui demens, freta ne propiora Britannis
Emenſum, inſidis fraudares, Gallice, menſis,
Aut non diſſimili violares Cantaber arte?
Æquumne Herculeis ſic inuidiſſe columnis?
Aut ſic Æſonidæ? neglecto vt (Carole) Tiphy,
Et nullâ Europam ſuperares impiger Argo,
Vellus ab Heſperijs peteres dum Gadibus aureum?
Aſpicis Heroum quàm concidat æmula virtus?
(Heroum noſtro virtus ingloria ſeclo,)
Illam, magnè tuis violaſti, Carole, factis,
(Aurea ſic ſtellas obcœcat Luna minores)

Mira-

Miraturq́; ſuum ſtupefacta Britannia Solem.

Macte age: digna tuis reddentur præmia factis,
Angligenam teſtis cantabit Iberus alumnum:
Nos, vt & Aoniæ decimâ cum Pallade diuæ,
Vt tandem ſileant peioris murmura famæ,
Hoc reduci meritò læti gratamur honore. *N.H. C.Regal.*

In reditum CAROLI *Principis.*

AD reditum cantâſſe tuum cum videris omnes,
Et modulis volucres te celebrâſſe ſuis:
Hinc dulcis Philomela, illinc certârit Alauda,
Et ſi qua è reliquis ſuauior adſit auis:
Si fortè argutos anſer ſtrepit inter Olores,
Des veniam, aduentu gaudet & illa tuo.
More ſuo cantat; ſic eſt modulatio noſtra
Forſitan inſuauis, non ſimulata tamen.
E.S. T.C.

In procelloſam & pluviam æſtatem, abſente Principe.

VT maieſtatis diadema coronet amorem,
Et ſimùl it Princeps, & peregrinus amor.
Quale iter, ô ſuperi? nam & vos ſub imagine cœlum
Ignotâ haud aliter deſeruiſſe ferunt.
Autumno rediturus, abit ſub ſidere verno:
Triſtis ita eſt æſtas, vt videatur hyems.
Nolo, Ceres inquit, ſurreptam quærere natam:
Semper erat tædis dignior ille meis.
Seq́; ait, vndantes ſulcis cum cernit ariſtas,
Sentire Hiſpanos, non meruiſſe famem.
Siccine te reducem quærebant, Carole, fruges?
Quid poterant aliud? non habuere iubar. *E.B. C.T.*

In-

In reditum illustrissimi Principis CAROLI *diu exoptatum.*

SInt ita diuisi, toto sint orbe Britanni:
Id modò, diuisi ne sint à Principe. Noster
Non patietur amor diuortia. Dic age Princeps,
Dic vbi sis; cupimus responsum ad vota, Deumq́;
Perplacidum reduci. Qui sic aliena beâsti,
Et populi sit cura tui. Rogo num tibi Bœtis,
Quod Thamesis negat, id præstat? si præstat amorem,
Noster erat prior; hunc sequitur superadditus alter,
Et nostrum geminat, non tollit: amore Britanni
Insignes notiq́; erimus per secula, qui sic
Absentem colimus. Quantum ô! sentitur egendo,
Quod charum est? semperq́; addit noua vota carenti.
Ascendit quoties montosa cacumina tristis,
Te siquâ expectans oranq́; ex parte videret,
Desperans quoties descendit Wallia? montes
Crediderim fecisse nouos, cum ascendere tantos
Et tot sint ausi. O Princeps! tua Wallia, nunquam
Infœlix magis, & pariter peregrina vel exul:
Nam tecum est patria, & tecum manere penates.
Te Britones picti, at picti squalore situq́;,
Et verè Hiberni veluti sine sole futuri,
Et Scoti in tenebras abituri, optauimus omnes.
Non iter inuidiæ est; iterumq́; iterumq́; reuisas
Hispanos, redeas prius: vt solennibus aris,
Atq; igni excipiant, qui dimisere per vndas.
Pellacem an patriæ fumus recreabat Vlyssem?
An vos, & teneros vestros offendit ocellos?
At reuocare gradum, nostraq́; euadere ad oras,
Hoc opus est. Cùm sis peregrinis sedibus hospes,
Aduena sis nostris. Alij sunt fortè reperti
Adiectiq́; noui, nostri debentur honores.
Verùm ades. An duxere domum mea carmina Daphnin?

Sic

Sic numeri valuere mei? iam cerno, poetæ
Quid possint: lauruſq; Tuum cinxere parentem.
Verùm ita quid non ante ô spes ô nostra redibas?
Teq; tuæ quid non plumæ properare docebant?
Sint aliæ, sint nolo tuę ludibria ventis.
Aspice præsenti lætentur vt omnia; cursu
Quàm celeri ad cœlum flammæ glomerentur, vt astris
Addantur festæ, & splendor geminetur Olympi.
Non tot habet, quot sunt nobis, Methymna racemos:
Vt meritò populus pro Principe vina coronet.
Cernimus & colimus, cùm Te, quod quisq; volebat;
Nec satiantur adhuc, nec sunt defessa videndo
Lumina: quàm similis menti est oculisq; voluptas?
Sic semper placeas; mea nec sint irrita vota:
Carole sis nobis præsens, Tibi Carole numen. *E.B. C.T.*

In reditum ab Hispanijs Serenissimi Magnæ Britanniæ Principis.

INclitus Hesperijs dum Tu novus Hospes in oris
Respicis occiduas (Carole magne) domos:
Iamq; Pyrenæis descendens montibus, æquas
Hesperidum valles, & iuga læta vides,
Omnis ab occiduis tibi fluxit Iberia syluis,
Stringis oliuifera, quam, vage Bœtis, aqua.
Iàm Tagus aurato voluit se pleniùs amne,
Dùm putat in vultu numen inesse tuo.
Neptunum, Phœbumq; alij dixere vocantes,
Nec deerat, qui Te credidit esse Iouem.
At postquam magni genitum Te stirpe Iacobi
Accepere; stupent, & magis inde rogant;
Ergo tibi tanti est Hispanica regna videre?
Ne pontum metuas, pontus & vnda tua est;
Scilicet hoc, Neptune, tuis speramus ab vndis,
Ne noceant tantæ saxa Notusue rati.

Et fas ſit debere tibi: quid ſera moramur
Vota Dijs tantâ ſolvere digna fide?
Nec fas hoc aliquid nobis maiuſué precari,
Nec præſtare Ioui quiſq; quod optat, habet.
Maiori nunquam pretio pia numina terris
Diuûm ſollicitis aſſeruere fidem.
Sic, ô ſic reducem Superi ſeruaſtis; & omni
Famâ (quæ fuerat maxima) maior adeſt.
Iam nuſquam priuatus eas, iam cognita Gallis,
Nota Pyrenæis ora verenda iugis.
Anguſto claudant ſe limite, qui neq; Veſtræ
Ignea victuræ ſemina mentis habent;
Nec quibus hos animos, mentemq; illuſtribus auſis
Indulſere parem fata benigna Deûm.
Non Ithace Æoliden tenuit, non Theſea Athenæ,
Æquoreo Iaſon Cholchida adiuit equo;
Nec geminos dominæ Atridas tenuere Mycenæ;
Nec Te Troia capit; Carolus orbis erit. *D.C.C.T.*

In optatiſſimum Sereniſſimi Principis
CAROLI *reditum.*

QVo Latio, Princeps, ætas noſtra aurea tecum
Delituit? quæ te terra potita diu eſt?
Optabat certè (vt nondum Latonia Delos)
Anglia te Heſperio quærere mota freto.
Sed quum non poſſit diuellere fundamenta,
Te rogitat Pennis huc reuolare tuis.

PLaudite; depoſitum iam reddit Iberia magnum.
Sol tandem occiduo noſter ab orbe redit.
Penè furens in te meditabar, Bœtice, diras,
Gaudia quod nimiùm noſtra moratus eras.
Aſt iam tuta fides quod ſit tua, Principe miſſo,
Gaudeo; ſed nolim rurſus habere fidem. *P.H.C.T.*

In fœlicem Principis reditum.

PRincipis ad reditum migrans è manibus imis
Iam poſtliminio terra Britanna redit,
Mœſta priùs, magnoq; animum torpore ſepulta
Emicat iniecto ceu noua flamma mero;
Principe, nec mirum, ſi ſic redeunte reuixit,
Vitalis patriæ ſcilicet aura fuit. *R. I. Regal.*

Pro reditu Sereniſſimi CAROLI, *deſideratiſſimi Principis ex Hiſpania, Carmen gratulatorium.*

COnſcia votorum ſtipemus Templa Britanni
Muneribus; nullaq; vacent à fronte coronæ.
Egrediare licet quiſquis bis quinque grabato
Clinicus hæſiſti menſes, redijſſe ſalutem
Diſce tuam. Proh noſtra ſalus! proh Carole, gentis
Altera ſpes, culmen regni columenq; ſecundum!
Ante tuum reditum, quem ſperabamus amantes,
Quàm teſtudineæ noctesq; dieſq; iuvabat
Inſimulare moræ? Nobis hæ tardius ibant,
Quàm Phaethontæis cùm mundi machina flammis
Ardeſcens, medio tenebras neſciuit in igne:
Illę, quàm mirâ vice cùm natalibus vnam
Impendiſſe diem Natura (vt iuſſit adulter)
Dicitur Herculeis; & tardè Phœbus Eoo
Fulſit ab Oceano. Sed quæ iam corda vel ora
Noſtra ſatis poterunt in gaudia dilatari?
Ipſa quidem viſa eſt mater Natura choreas
Ducere, lætitiæ ſcænas ornare, popellum
Inuitare lubens ad iubila; quippe benigno
Proventu beat agricolam gratiſſima tellus.
En vt flaua Ceres apricis nutat in aruis!

Vtmatura tibi Pomana sub arbore ludit!
O Deus! ô Princeps! mundum nempe ille creare
Primus in Autumno, quâ tempestate volebat
Hic reditu recreare suo; lapidum vice, gemmis
Signando reditum: qui faustus habebitur Anglis
Donec spumantes circùm teret Albion vndas. *I.A.A.C.*

In fœlicem reditum Serenissimi CAROLI *Walliæ Principis Illustrissimi, Carmen gratulabundum.*

DVm parat Hispanos Princeps invisere amores,
Perpetuæq; suis fœdera pacis agit;
Rixa ferox orta est coniunctos inter amicos,
Oceanum, Terram; confremuere pares.
Causa? petunt Tanti vecturam Principis. *Vnda*
Ambitiosa negat cedere, nescit *Humus*.
Æquoris in partes descendit sedula Nauis,
Orat *fortunas Cæsaris* ipsa *ferat*.
At stetit à *Terrâ* sonipes, studiosus honoris,
Et spe sessoris colla superba gerit.
Soluens mox litem, Nestor Britannice (parent
Artifici pacis sponte elementa tibi)
Sic, mutate, iubes, solitis amplexibus iras:
Dum properat, *Tellus*; dum redit, *Vnda* vehat.
Tuq; comes sis duxq; viæ, sis fidus Achates,
Qui dominaris equis, qui dominaris aquis.
Dixit: Tollit equus cristas, fessore superbus.
Tanto, nec dubitat temnere Bucephalum.
Hispanis, dicto citius, mox finibus instat;
Et pariter, posito Principe, crista cadit.
Quis fando poterit dignè genialia serta,
Regales luxus, munera læta dei?
Transactis rebus, solvit Ratis; atq; saburram
Diuitis ipsa Tagi spernit, onusta deo.
Qui priùs Angliacis sospes vix sistitur oris,

Quàm

Quàm sic ore pari *Terra, Fretumq;* sonant;
Salue Dux, Princepsq; Redux: Vtrumq; salutat
Anglia, læta Ducem, lætior at Reducem. *M.H.C.C.*

In desideratissimum CAROLI *Principis reditum.*

SIc quondam* cecini, *Carolus, Sol, Cura,* Britannis:
Idem *Sol* nobis, *Curaq;* nostra manet;
Immò quod adijcias, abiens, redienſq; viciſſim
Clariùs in noſtro, quàm priùs, orbe micat.
Solis vti in cœlis, poſt longa tonitrua, & imbres,
Gratior eſt reditus, fitq; ſerena dies.
Cernis, vt in radijs eius lætantur Iberi,
Miraturq; novum terra remota iubar?
Hoc vnum reſtat: Geminetur *Cura* Britannis
Pro *Carolo,* acceſſit cui geminatus honor. *P.C. Regal.*

* Epiced. Cant. fol. 78. per Anagram.

In reditum Illustrissimi Principis CAROLI.

IN Patrio ſteteras, expectatiſſime, portu,
Blanda tuas reducis ceperat ora rates,
Dumq; ſalutaret vel adhuc in littore greſſus,
Terra habuit dcte Carole poſſe queri:
Soluiſti vt dubijs volitantia linteа ventis,
Sic tecum populus plurima vota tuus:
Vt freta tranauit, freta ſæua Britannica, puppis,
Sic merſa eſt curis Anglia mæſta nouis:
Vtq; petis pluvium paucis ſtipantibus auſtrum,
Sic tanquam pluvias Anglia fundit aquas:
Vt niue perpetuas & tectas frigore rupes,
Sic gelidum populi frigore pectus erat:
Sed tecum redeunt tua Numina noſtraq; vota,
Iam curam & lacrymas, (Anglia) terge tuas.

R.W. T.C.

De Naui, quæ Principem ex Hispania in Angliam reuexit.

GRæcia præluſtrem mirari deſinat Argo,
Auratæ exuvias quæ rapiebat ouis:
Vellera ſi numeres centena, vel aurea mille,
Sordent præ Gemma, quam vehit iſta Ratis.

In diem reditus.

NOn ſatis eſt, feſtam quòd agant Mortalia lucem,
Cernere qua reducis Principis ora datur:
Igne triumphali rutilate palatia Cœli,
Stellaq; quæque ſuo ducat in orbe choros. *A.B. A.P.*

DVm fugis aſpectûs auidos, & vota Tuorum,
Ac regni fines Charole Chare tui,
Quàm celeri poteras curſu præuertere Famam!
Confecit longum, quàm breue tempus, iter!
Aura videbatur nimis officioſa carinę:
Non opus alato ſubdere calcar equo.
Arua prius noſtram tenuerunt Gallica Gemmam,
Orbatos quàm nos nouimus eſſe Tui.
Sol prius Heſperijs fulgebat noſter in oris,
Anglia quàm noctem ſenſit adeſſe ſuam.
Nubifer ipſe tuis Pirenus creditur vltrò
Sub pedibus tumidum ſuppoſuiſſe caput.
Sequana feſtinis contractior iuit in vndis;
Corripuit latas & tibi Bœtis aquas.
Quàm tamen vt redeas, contraria cuncta feruntur?
Omnibus vt votis ſerior ipſe venis?
Mèndacis quoties Famæ incuſauimus alas
Præuenit Aduentum dum tuba falſa Tuum?
Iam nimîs Angliacis Hiſpania diſtat ab agris,
Plus æquo nobis viſa propinqua prius.

Lentus

Lentus it Oceanus nimium Tuus, inuidet orbi
Diuitias reliquo deliciaſq; ſuas.
Et fluit & refluit: dulci ſub pondere ludens,
Sorte ſuâ noſtro Rege ſuperbus ouat.
Non opus eſt ventis, non vt daret Æolus vtres:
Impellunt noſtræ carbaſa veſtra preces.
Nullus equus nobis ſatis eſt, calcaria nulla:
Pegaſus ex aſtris ipſe petendus erat;
Cuius vt Anglorum percuſſerit vngula campos,
Cum muſis Helicon profluit ecce novus. *Z.T. C.T.*

In auſpicatiſſimum C. P. *reditum ex Hiſpania.*

ORba tui nuper quem cepit Patria luctum
Penſari dubitat num redeunte putet:
Poſtquàm ſalvus ades, quędam eſt abijſſe voluptas,
Quam tamen hoc precio non ego rurſus emam:
Ah noli, Princeps, te diſcat amare carendo
Anglia præſenti ſemper amica ſatis:
Ah noli tentare animos (incredule) noſtros,
Aut, ſiquid dubites, experiare domi:
Sit ſatis ô de te ſemel extimuiſſe Britannos,
Creuit ab immenſo magnus amore timor.
Nam ſimulac fidam ſibi ſenſit abeſſe columnam,
Terra ſuos motus pertulit Angla graues:
Vix etiam non horret adhuc, nec dicere promptum eſt
An ſaliant nobis pectora, ſiue tremant.
Si tibi te genti placeat ſociare Britannæ,
Vidiſti noſtrum Bætice, mitte tuam.

CArole (ſi libeat iuſtas audire querelas)
Patria tàm ſerò te redijſſe dolet:
Vicinæ pene eſt irata æq; æmula Genti,
Quam tibi plus æquo complacuiſſe putat.

Cur

Cur adeò aduentum placeat differre peratum?
Cuius vi remoræ Cymba retenta tua est?
Ignotus reuehi poteras, qui notus abisti,
Et nomen Britones dedidicisse tuum.
Si non impressum pectus cuiusq; teneret,
Si res syncerus non meminor esset Amor.
Sed ne victa graui succumbas Anglia luctu,
Pensarunt modicam fata benigna moram:
Vnde habeas ne quære tuum, satis id sit, habere,
Nec quando redeat, sed redijsse puta. *T.W. C.T.*

SIc vbi perdomitis gressus mouitur ab Indis,
Pampineâq; ferox cuspide Bacchus ouat:
Sic vbi cærulei reseratum limen Olympi
Linquit, & Idæis Iupiter instat agris:
Illi Dictæus furit, huic furit incola Dirces:
Æra fremens tremulâ pulsat vterq; manu.
Eccè nouo concussa ferox tumet Anglia motu,
Lætificoq; acuunt vndiq; turba sonos;
Vna salutantûm vox est, mens vna silentûm:
Exultant reditu, Carole, cuncta tuo.
Ne reliquas interr, sileat mea pica, loquelas;
Accipias nostrum maxime Cœsar, aue. *T.B. C.R gal.*

In reditum Illustrissimi Principis CAROLI.

SæpiùsHesperio tinctùm sub gurgite Solem
Vidimus, & pronas sæpiùs isse vias.
Nulla dies versos, cœliq; per ardua retro
Raptantes Phœbi lampada vidit equos.
At Sol noster, ijs quibus occidit, exilit vndis,
Quaq; diem, fugiens, clauserat, inde redit.
Tu tenebras noctemq; fugas, tu Carole, noster
Phœbus, & occasus qui fuit, ortus erit. *G.G. C.Regal.*

In

In reditum Sereniſſimi Principis
CAROLI.

GRatus ab Heſperiâ (Sol chare) reduceris orâ
Tecum Britannis lucidum ducens iubar,
Et veterem patriæ faciens iuveneſcere terram,
Vt plena meſſis tolleret flavum caput.
Vis mihi nulla fuit te diſcedente canendi:
Omnes dolebant: Angliæ riſit nihil.
Dum procerum tandem ſonitus per tecta volaret
Et rumor ingens iret in celſas domos,
Perq; ſuſurrantes linguas, & murmura lætis
Confuſa verbis, per triumphales ſonos,
Fama tui reditus paſtorum velleret aures
Quos inter almum mœſtus attriui diem,
Surgere quæ cogens animos abitura priores
Omnes reliquit gaudio plenos nouo.
Iam nos, cum reliquis, humiles iam mitte iocari,
Non ſunt faceti, ſunt innocentes modi.
Nec mirare tamen velocem Carole famam
Quæ ſic per orbem gaudet aduentu tuo.
Læta fuit certè (quod ſi mihi dicere fas eſt)
De te triumphans non ſatis velox fuit.
Hinc tamen à nobis per ovilia læta cucurrit,
Dum matris agnus velleret mammas ſuæ,
Saltabantq; greges quia te redijſſe putarunt
Solamen ingens patriæ, patris decus.
Nunc ego diſcutiam grauidos à corde dolores
Mœſtiſq; curis vltimum dicam vale.
Horrendi gemitus procul hinc, vaneſcite tandem:
Nam quid putatis? non ſatis fleui diu?
Vultis vt in reditum tam magni Principis eſſem
Mœſtus? velitis: non ero mœſtus tamen.
Non liceat denſis ſingultibus ora repleri:
Nec lachrymando iam leues mergi genas.

Ipse novum potius meditabor arundine carmen:
Totum canendo tempus excurret meum.
Et tremulam quoties emittet fistula vocem
Syluæ loquaces & cauę valles erunt.
Iam tu qui reditu facis exultare Britannos,
Cassosq; vitâ rursus ad vitam refers,
Accipe iam læti pastoris inutile munus
Quod dat libenter, sed nihil maius potest. *H.R.*

In reditum illustrissimi Principis CAROLI
Principis Britannia.

PLusquam Ægyptiacis fuit obscurata tenebris
Anglia, & Arctoo nox stetit alta polo,
Ex quo casurus noster despexit Iberum
Phœbus, & Antipodes versus agebat iter.
Ille suo nostram complebat lumine terram,
Ille fuit vitæ solq; diesq; meæ.
Illo absente, dies cessit, lux defuit Anglis:
Et solita est dubijs exagitata quies.
Nunc toties optatus ades, celeberrime princeps,
Et noster redijt te redeunte dies.
Fugerunt pulsæ te resplendente tenebræ,
Nox etiam radijs cessit abacta tuis.
Vna hominum vox est: lætus fragor æthera pulsat,
Et plausu ingenti littora pulsa fremunt.
Qualis adest Graijs tenebroso à carcere Theseus:
Anglis talis ades, Carole magne, tuis.
Quid mare tranquillum, quid vt Austri flamina dicam
Per mensem velis officiosa tuis?
Tanquam inuitarent reditus, immota quiêrunt
Æquora, pacatis & siluere vadis:
Et nunc ecce tuo posuerunt littore tutum,
Teq; Anglis tandem restituere tuis.

Quàm

Quàm mihi gratus ades, noſtram quæ gaudia mentem
Tangunt, cum nequeat dicere Muſa, ſilet. *N. Regal.*

Redeuntis CAROLI *ſera gratulatio.*

EXcepit qualis poſt lætos ſtrage triumphos
Roma duces, aut qualis erat cum Cæſare tuto
Compoſuit pelagus ventis patientibus vndas:
Qualis, Pompeio pulſo quando agmina victor
Non armata trahens, ſed pacis habentia vultum,
Tecta petens patriæ lætam remeaſſet in vrbem:
Anglia conſpecto talis te (Carole) facta eſt.
Prole pater viſa, vultu iuveneſcit, & omnes
Spiritus inde novus renouat cum corpore vires.
Exultant regni proceres, ſanctuſq; ſenatus:
Atq; equitum geſtit genus omne, & Martia pubes;
Aſpice in immenſo lætantes agmine muſas,
Spem ſibi gratantes reducem, comiteſq; reductos:
En noua iam facies populo, gentemq; per omnem
Inſurgit; qualem canæ poſt tempora brumæ
Sol radijs terram luſtrans æſtate reducit.
Læti templa adeunt omnes, hymnoq; frequenti
Mille ſonant aræ, votiſq; recentibus halant.
Certatim ſua dona ferunt, ne præferat alter
Quiſq; timet, reducemq; minus voluiſſe videri.

T.F. Regal.

LVgeat Æſonidem triſtis Medea maritum,
Lugeat abreptum Laodameia virum;
At quoniam tu, Daphni, tuos remearis ad Anglos
Ponat lugubres noſtra Thalia modos.
Daphnis adeſt, meritoſq; redux depoſcit honores,
Fallaci famæ parcite; Daphnis adeſt.

I.W. Regal.

ÆQuora turbentur, pugnetq; aduersa procella,
Principis aduentum ventus, & vnda negent;
Æquora sunt Britonum lacrymæ, suspiria venti:
Sic Gemitu populi carbasus actus adest. *R.H. Iohan.*

In reditum Illustrissimi Principis CAROLI
Principis Walliæ.

DIc, Musa, flammis cur renitentibus
Perlucet omnis terra Britannica?
Gratusq; iam clangor tubarum
Lætitiæ edit vbiq; signa?
Cur astra pulsat clamor ouantium,
Et læta Io bis vox repetentium?
Fœlicibus nobis adest Sol,
Occiduo rediens ab orbe:
Salue beatæ gemma Britanniæ,
Salue alma nostræ lux Academiæ,
Et Phœbe, magno non parenti
Dissimilis soboles adesto.
Diuine Princeps, aspice vt insula
Hæc tota vultus nunc inhiat tuos:
Bellum simul, pacem & locuta
Vt iuvat ora tuos tueri!
Cum subtrahebas tu modò lumina,
Squalore cuncti sedimus obruti,
Aduentus at vester dolores,
Angligenumq; fugat tenebras:
Cœleste germen, ne (precor) amplius
Reddi Britannos ter miseros velis,
Absconde nec vultum: satisq;
Supplicij luimus, superq;.
Sic sempiternus sol eris Angliæ,
Post fata sidus perpetuò micans
Sic alto es in cœlo futurus:
Augurio superi fauete. *E.N. Regal.*

In

In reditum serenissimi Principis CAROLI
ab Hispania carmina gratulatoria.

CVr tam dira fames nostras grassata per oras ?
Albion & siccis febribus vsta fuit ?
Anne horum causas superos referamus ad ignes
Saturnus quoniam cum Ioue iunctus erat ?
An quia nativum hoc anno Sol Anglicus orbem
Liquit, & Hispano luxerat ille polo ?
Nempe venenatus vitiauerat aera fumus,
Dùm procul à proprio sydere Phœbus erat.
Heu tenebras queritur, nimiamq; Britannia noctem,
Vixq; moram Solis sustinet illa sui;
Quamq; horam putat esse Diem, Mensemq; dierum
Quemq; Diem numerat ; Mensis vt annus erat.
Aspicit, expectat, quærit, scitatur & optat,
Orat, suspirat, flet, lacrymisq; madet.
Oceanum quoties (heu) conspicit anxia ? cœlum
Hispanumq; oculis prospicit illa suis ?
O quoties gemit, atq; ex alto pectore luget
Obuoluens animo talia verba suo:
Nunquamnè Auroræ rubicunda crepuscula ? nunquam
Lucifer auratis est redituru equis ?
Ast vbi Titanis prænuncia stella refulsit
Illustrans Cœlum (terra Britanna) tuum ;
Extemplò emergit rediuivus ab æquore Phœbus,
Albuit atq; suis Albion omnis equis.
Quanta trophæa tibi tunc ? An solennior vnquam,
Aut magis alba tibi (terra Britanna) dies ?
Gaudia quæ ? quæ tintinabula ? quiuè triumphi ?
Festa ? preces ? hymni ? cantica ? vota ? faces ?
Clariùs (en) Phœbo redeunte refulget Horizon
Quàm si non orbem nouerat ille novum.

I.T. C.Iohan.

In incertam famam de
Principis reditu.

SI quæ vota, leuis vulgi tulit aura, tuliſſet
Et vela hæc eadem, Carole magne, tua:
Non ego iam toties reditum finxiſſe putarer,
Neſcio quo mendax jure, poeta, tuum:
Iamdudum pedibus properaſſent carmina veris,
Senſiſſentq; pigræ tædia nulla viæ,
Æmula tum demum tacuiſſet fama, nec eſſet
Heu nimis in noſtras officioſa preces;
Atq; ſemel tantùm redijſſes, neue quis illud
Quod peragit mendax, ſic geminaſſet iter.
Aſt aliter ſuperis viſum eſt, qui noſtra morantur
Gaudia, ſucceſſu ſæpe iterata nouo;
His differre placet reditum; ſercq; carendo
Diſcimus, heu, quid ſit talem habuiſſe virum.
Verùm vtcunq; ſat eſt; ceſſant jam numina, ceſſant,
Humanum ambiguâ ludere ſorte genus;
Reſtituunt tandem incolumem, nulloq; ferente,
Veniſti pedibus, Carole ducte tuis,
Et quamuis ſero te iam redeunte, poeta
Sim mendax, vatem veridicum eſſe liquet. *F.B. C.T.*

FAma tui reditus modò præconcepta videtur
Viua velut ſuperûm vox animâſſe tuos.
Idem omnes ſimul ardor agit, ſimul occupat error,
Error at ardoris teſſera noſter erat.
Quos ita deludens affecit imagine rumor,
O quantum reducis viſio vera beat?

QVantis refulges eminens honoribus
O Walliarum ſplendor admirabilis?
En ipſa præ pudore vultus obtegit,

Sinuſq;

Sinuſq; tellus inſpuens argenteos
Vel erubeſcit, te recepto, Cambrica:
Quin & peregrè aduecta nauis, Indicis
Onuſta gemmis, alba cum proſpexerat
In proximo iam Carolinæ carbaſa,
Conceſſit vltrò vilitatis conſcia,
Merceſq; non hoc antè viſas ſæculo
Ingurgitârat pœnè ponti fluctibus:
Quid plura? tanti non Eous ponderis
Eſt æſtimandus, aureæ nec inſulæ,
Non occidentis gaza, non America:
Tu gemma, tu theſaurus, ô chariſſime
Tu noſter ortus, occidensq; Carole.

R.L. C. Regal.

Ad Principem.

SI breuis argumentum ingens tibi charta repandit,
Quam ſit de reditu Patria læta tuo.
Non opus eſt magno turgere volumine Muſas,
Gaudia ſunt nobis longa, breuiſq; liber.
Princeps Magne timent Muſæ, ne rurſus abire
Te iubeant, nimium qui redijſſe canunt.

H.B. *Procan.*

Votum Typographi.

IN reditum Caroli ceciniſtis *Plaudite*, ſed nunc
Quòd redijt Carolus *Claudite*: Finis adeſt.
Hoc vnum à ſuperis *Academica Tibia* poſcit,
Vt *pede inoffenſo* carmina veſtra fluant.

FINIS.